DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

INSENSIBILITATE PERSONALI,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXXI. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

FERDINANDUS SCHWAB,

NORICO-FURTENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

INter alia notatû digna effata illud inclaruit BERNHARDI, quando in *Cant. Serm. 83.* ita exclamat: *Grande profecto in nobis donum est, ipsa natura:* hoc judicium si ad hominem applicamus, deprehendimus quod plurimi judiciosi, prudentes, periti & æqui viri humanam naturam admodum æstimaverint, a qua origo, vita, duratio, augmentatio, emendatio & sanatio, vulgo universa tutela hominis, præc. corporis humani, derivari solet: hæc vero in quibusdam individuis robusta, firma, consistens, vegeta & dura, in aliis debilis, infirma, inconstans, instabilis & distincte imperfecta est, quare vulgo eximiis encomiis fortitudo ac robur hominis celebratur, imbecillitas vicissim multis modis corrigitur, erigitur, sublevatur & roboratur: hinc PONTANUS JOVIANUS *Lib. I. de fortitudine bellica & heroica* ita asserit, dis-

ſeritque: *Inter virtutes, quæ fortitudini famulantur eſt tolerantia, quæ eſt æqua laborum & moleſtiarum perpeſſio: item durities, imbecillitatis mollitieique expultrix; item patientia, ſtabilis & firma perpeſſio, eorum omnium, quæ dura, aſpera, difficilia, gravia, ærumnoſa contingere unquam poſſunt: firmitas quoque quæ periculoſis atque adverſis nullo modo ſuccumbendum eſſe doceat:* talis fortitudo, tolerantia, durities, patientia, ac firmitas non modo in moralibus, ſed etiam naturalibus negotiis humanis obſervatur, & quidem quod poſteriora concernit, unus homo præ altero in œconomia vitali plus perferre poteſt, quamvis principalis ratio non in amplitudine, proceritate, extenſione ac ſoliditate corporis aut qualitatum materialium conſiſtat, dum multi homines tam quadrato corpore inſtructi ſingulari infirmitate ac defectu roboris præditi exiſtunt, adeo ut nuda corporis denſitas, compages & conſiſtentia non omnimode periculis atque offenſis reſiſtat: & quamvis CASSIODORUS *ſuper I. Pſalm. in verb. beatus vir* commentetur & eloquatur: *Vir vocatus a viribus, qui neſcit in adverſis tolerandis deficere, aut in proſperis aliqua elatione ſe jactare, ſed animo ſtabili defixus*, quamvis etiam juxta *Pſalm. 46. v. 2. Deus nobis receptus ſit & robur*, tamen in naturalibus aliquando valet *1 Sam. 16. v. 7. 8. ne reſpicito ad ſpeciem ejus aut ad altitudinem ſtaturæ ejus, nam reſpui eum* & juxta *Jerem. IX. 23. ne gloriator potens in potentia ſua:* In hiſtoria itaque naturali innumeris exemplis comprobatum eſt, quam Senſibiles, mutabiles & facile ac frequenter offenſionibus & alterationibus obnoxii, ac viciſſim quam duri, inſenſiles, firmi,

mi, ſtrenui, ac velut ferrei deprehendantur homines, qui multa perferre, nec facile ſubjugari poſſunt, adeo ut gentes quædam arduis ac aſperis corporis exercitationibus, ita velut indurentur, ut varias offenſiones fortiter perferre queant: abſcondita itaque ac ſingulari interpretatione digna eſt reſponſio SOCRATIS, quam STOBAEUS *Serm. 7. de fortitudine* commemorat, ubi ille *interrogatus, quid fortitudo ac robur eſſet, dixit: nodus animæ cum corpore:* intricatus enim hic eſt nodus, quem multi pro Gordio habent, adeoque ægerrime, aut perverſe, aut confuſe aut plane non ſolvunt: tolerantia enim arduorum, aſperorum & adverſorum, non penitus absque ratione & Senſatione contingit; nec eminentium offendiculorum tranquillior perpeſſio, privationem Senſationis complectitur, quoniam in uno ſubjecto Senſationis adminiſtratio placatior, moderatior ac benignior, in alio impetuoſior, citatior, magisque impatiens & vehemens exiſtit: & quamvis aſſertum illud, quod apud DIODOR. SICULUM *in Dioxippum pugilem nobilem* dictum *Lib. XVII. c. 101.* quod *perquam difficile ſit, craſſo corporis robore, ac ſubtili mentis acumine ſimul præditum eſſe,* veritati ſæpe reſpondeat, dum homines acutiori animo, majori judicio, ac celſiori ſapientia qualificati, communiter valde delicati ac ſenſibiles ſunt, attamen viciſſim alii homines qui res adverſas compoſita magisque tranquilla indole tolerant, non nudæ machinæ, trabes, trunci, ſtatuæ ac marmorea, aut materialia tantum ſubjecta ſunt; hinc ejusmodi firmi ac robuſti homines æque Senſu inſtructi ſunt, adeoque animæ majorem continentiam ac mo-

derationem comprobant: *Nihil enim sensum habet, quod non sit anima præditum* dixit ARISTOTELES *Lib. 2. de anim. c.4. t.37.* quo pertinet vera adsertio, quam profitetur BERNH. LAMY *in primis scientiar. element. dialog. 9. & 10.* quam proferunt *A. E. L. An. 1703. Mens. Febr. p. 64.* hisce verbis: *Corpus non sentit, quia anima sentit, quia sensationes sunt cogitationum species, utpote conscientiam involventes, absurdum vero est animam & corpus una sentire: Sensationes referuntur in membra corporis, quia finis unionis est directio & conservatio corporis, ut adeo per illas admoneri debeat, quid singulis partibus accidat:* cum hoc asserto consentit ROB. BOYLE *in refutatione Atheismi*, quam publici juris fecit RICHARDUS BENTLEY ubi *oratione II.* juxta relationem *A. E. L. An. 1693. Mens. Septembr. p. 394.* hæc sententia allegatur: *sentiendi vis materiæ tribui nullo modo potest - - in materia non residet sentiendi & percipiendi facultas:* Quam sensibiles, flexiles ac delicati multi sunt homines, tam firmi vicissim ac robusti reperiuntur alii, ita, ut quo minus sollicite ac scrupulose quidam longævitati acquirendæ indulgent, nec variis artificialibus mediis vitæ ac sanitatis tutelam inquirunt, eo duriori, præstantiori, ac consistentiori robore instruantur: hinc eminens illud innotuit documentum, ut ab uno celsiori stemmate pendentes natales, diversa ex parte firmitate, fortitudine ac corporis præstanti vigore præditi esse observentur: quicunque enim sub eximia mollitie ac indulgentia animi & corporis educantur, illi valde teneri, sensiles, delicati ac in naturalis sanitatis œconomia mutabiles sunt; ast, qui duriori vitæ generi, cum

debito

debito licet moderamine, tempestive adsuescunt, majorem firmitatem nanciscuntur, ut huc quadret quod PLATO *in Theæteto* elocutus est: *corporum habitus otio & torpore corrumpitur, exercitatione autem ac motu plurimum conservatur firmaturque*, aut quod SENECA *Ep. 80.* professus est: *corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam potest, qua & pugnos pariter & calces non unius hominis ferat, qua solem ardentissimum in ferventissimo pulvere sustinens aliquis & sanguine suo madens diem ducat:* Quemadmodum itaque vilioris sortis homines immenso numero reliquos superant, ita etiam illi, qui minus delicate vivunt animo ac corpore firmiores existunt, nec aliena ope, pro roborandis viribus indigent: hinc illa media, quæ juxta neotericorum stylum ac captum eximie roborantia dicuntur, illis parum ad robur & firmitatem conciliandam ac erigendam inserviunt, quod vero alia vilioris ac ignobilioris qualitatis subjecta, ab arte magis aliena efficiunt: hinc veritati respondet effatum CICERONIS *Lib. I. de Nat. Deor. Meliora sunt ea, quæ natura, quam quæ arte perfecta sunt:* Hanc observationem in animum revocantes, quod videlicet quoad hanc qualitatem notatu digna discrepantia inter homines occurrat & quod non modo quoad certas gentes durissimi reperiantur homines, sed & quoad individua peculiares annotentur firmitates, ita ut in hisce vix tam delicata ac mollis obtingat Sensibilitas, placuit pro themate præsentis Inauguralis tractationis & dissertationis observationem INSENSIBILITATIS PERSONALIS seligere, ad quam tractationem nobis divinum

vinum moderamen atque auxilium humillime exoramus.

§. I.

AD præſentis obſervationis explicationem manuducit nos illa diſquiſitio, quam D. D. PRÆSES ante aliquod tempus de *Senſibilitate Perſonali* in publicum emiſit: quemadmodum itaq; dogma de concurſu *Senſus* in œconomia vitali notatu, indagatu & applicatu dignum eſt, ita illud in aliis diſpp. de *Senſu Vitali*, nec non de *Senſuum internorum uſu* ac *miniſterio* in proceſſu *vitæ* & *ſanitatis* commendatum & confirmatum reperitur: impræſentiarum placet *connexam* animadverſionem proponere, explicare & ut *videatur* hanc meditationem in ſenſu ac reſpectu *oppoſito* pertractare: ne vero in titulo offenſio fluctuet, illius nervum & acceptationem, *noſtro* præſenti inſtituto *congruum*, annotabimus: de *Inſenſibilitate* itaque differemus, *non* quidem quoad ſignificatum *abſolutæ privationis*, videlicet plane & plene *aboliti* ſenſus ac motus, uti vulgo nominatur *anæſtiſia* i. e. *defectus* ac ceſſatio Senſus, quæ privatio non procul a morte diſtat, ut ea propter *Inſenſibilitas* juxta hunc *ſtrictum* ſenſum, hominem attonitum, ſtupidum, fühlloß, unempfindlich ſignificet, uti *moribundum* ita deſcribere vulgo ſolent, quod ſit in illo articulo *totalis omnium* motuum abolitionis, atque appropperantis mortis dum decumbentes nihil amplius ſentiunt, ſiquidem *Senſus* ac *motus*, ut & *ſenſus* ac *vita* utplurimum *connexa* hominis ſunt attributa; ſed *alium* ſignificatum Inſenſibilitatis *formamus* ac ſeligimus & quidem

nomi-

nominamus illam *firmiorem*, conſtantiorem & tranquilliorem præſentis *individualis* Senſus exercitationem, qua quædam ſubjecta in Senſibilitatis ſtrenuam, nimis operoſam, mutabilem, fugitivam, immoderatam, patientem ac præcipitem adminiſtrationem non ita prona impetuoſa ac præcocia exiſtunt, adeoque in *relatione* ad valde & *nimis* Senſibiles, *minus* tales, ſed *robuſtiores*, duriores, firmiores, patientiores, conſiſtentiores, ac ad varia *ardua* atque aſpera toleranda aptiores ſunt perſonæ, hinc *relative* inſenſibiles vocari & æſtimari poſſunt: ob id ejusmodi ſubjecta quælibet obverſantia objecta quidem *ſentiunt* ac percipiunt, *haud* vero ita *ægre* illa perferunt, nec ob *immoderatam* talem æſtimationem *præcipitanter* illis reſiſtunt, aut *impetuoſis* commotionibus eadem proſequuntur, ſed juxta *moderatiorem* perceptionem, reliquas *connexas* operationes *tranquillius* ac placidius exequuntur: unde ſecundum noſtram acceptionem & interpretationem inſenſibilitas *non truncum*, ſtatuam, aut *nudam machinam* complectitur, nec hominem *deſtructo*, corrupto aut *morboſo* ſenſu præditum comprehendit, ſed potius comparate *integra* ſanitate, adeoque *Senſu* & *motu* qualificatum ſubjectum includit, ita ut ſine contradictione homo ſenſu inſtructus, juxta noſtram explicationem reſpective *inſenſibilis* eſſe queat: imo quod magis eſt talis homo in relatione ad *certas* occupationes inſenſibilis, ad *alias* viciſſim ſatis *ſenſibilis* eſſe poteſt, dum membris *diverſis uti*, ſed non *abuti*, uti juxta proverbialem elocutionem in vernacula dicitur: man müſſe hören und auch nicht hören, ſehen und auch nicht ſehen; imo *alio* ſignificatu aſſeveratur: mit hörenden Ohren hören ſie nicht,

mit sehenden Augen sehen sie nicht ꝛc. hinc quidam homines in *perverso*, præjudicioso ac nocivo sensus ministerio velut *insensiles*, in aliis vero *salutaribus* operationibus admodum *sensibiles* deprehenduntur, unde quidam dicunt: was ich hören will, höre ich wohl: quare alia Insensibilitas est *absoluta*, præternaturalis, *morbosa*, ad *mortem* magis disponens, alia vero *relativa*, naturalis & non raro ad *vitæ* ac *sanitatis* confirmationem proficua: ita datur porro Insensibilitas quoad *tempora*, *occasiones*, loca & *corporis regiones* discrepans, dum v. g. sub *somno* homines multi in *externo* corpore eximie *insensiles* esse observantur, licet Sensus ad *internam* œconomiam *vitæ* spectans, satis vegetus atque activus existat, aut dum quidam homines in *una* corporis parte *valde sensibiles*, in *alia* aliter constituti sunt, ridiculo testimonio hominum ad titillationes *plus* vel *minus sensibilium*, quos vulgus nominat kützlichte oder harte Menschen: inde facile argumentatio a *minori* ad *majus* formari potest, quod sicut in *externo* habitu corporis major ac *intensior* sensibilitas vigere solet, ita eadem in *interna* corporis regione *auctior* & activior esse queat soleatque; vicissim in uno loco eadem sensibilitas *minor* & temperatior aliquando existit: & hæc quoad Insensibilitatis notationem & acceptionem præmittere voluimus.

§. II.

Sed appellamus hanc *Personalem* i. e. individualem Insensibilitatem; quo ipso prædicato non *universalem*, sed *particularem* talem agnoscimus qualitatem; etenim non omnes homines *æquali* vigore & activitate *animi*, *Sensuum* communium *externorum* ac reliquæ *Sensibilita-*

tis

tis circa varias corporis *regiones* & *partes*, necnon *functiones* in œconomia vitali familiares ac necessarias pollent; similiter *discrepans* observatur Insensibilitas, tam quoad *individua*, quam quoad *certas nationes:* & hæc Insensibilitas in *peculiari* gente aut populo obvia nihilominus *particularis* & in *latiori* acceptione *personalis* existit, dum in relatione ac comparatione ad *aliarum* provinciarum personas, nihilominus *certis* nationibus harumque inhabitatoribus eadem Insensibilitas familiaris est, inde innotuit descriptio nonnullarum regionum: es sey ein hart, rauh rc. Land, und habe harte, veste, starcke rc. Einwohner, die viel ausstehen können: quibus prædicatis vulgo denotantur aut gentes *barbaræ* & incultæ, aut versus *septentrionalem* plagam sitæ nationes: nec tantum *boreales* tales gentes *robustæ*, firmæ, *duræ* ac insensiles deprehenduntur, sed & inter regiones *temperatiores*, flexiliores, teneriores ac *sensibiliores* aliquando reperiuntur in certo districtu *montoso* ac *sylvestri* comprehensi incolæ, qui distincta qualitate *duri* ac *tenaces* existunt, testimonio der Berg- und Wald-Leute, præc. de *agrestis* vitæ genere nati; hinc charactere tali innotuere: die Wald-Bauern, Schwartz- und Hartz-Wälder, Wester- und Spesser-Wälder, Wendische, Thüringische rc. Bauren: proinde passim testimonia de robusta natura Norwegorum, Finnorum, Lapponensium, Polonorum, Porussorum, Westphalorum, Russorum, Lithuanorum, Tartarorum, Turcarum, Hungarorum &c. occurrunt; ast præter hanc firmitatem ac duritiem gentium, datur adhuc *specialior* Personarum Insensibilitas, ut non modo inter *alias* nationes *dura* & aspera talia subjecta inveniantur, sed &

ut inter ipſas tales *duriores* gentes, unus homo roboſe ac *inſenſibilitate* alios multos ſuperet, ut dicterium innotuerit: dieſer oder jener Menſch habe eine harte Natur, könne viel vertragen. Hæc qualitas *individualis* aut perſonalis inſenſibilitatis habet relationem ad peculiarem *ætatem*, *ſexum*, *temperamenti* ſpeciem, *nativitatem*, *hæreditariam* diſpoſitionem, *educationem*, certum *vitæ genus* & *conſuetudinem*: quos reſpectus *generice* ſcrutari & explicare lubet: quod itaque rationem *Ætatis* attinet, dum in hac Inſenſibilitate *haud ita eminenter* Infantiæ, Pueritiæ, adoleſcentiæ & ſenectutis anni, *præ reliquis* comprehenſi obſervantur, ſed magis in *Juventute*, *Virilitate* & *Conſiſtentia* conſtituti homines: utut enim vulgo infantes *debiles* prædicantur, ob quam imbecillitatem etiam facile inſenſibiles fieri & eſſe poſſunt, tamen ex *communi* obſervatione conſtat, quod infantes valde delicati & *ſenſibiles* exiſtant, ob quam *eximiam* ſenſibilitatem ſub morboſis afflictionibus facile in *convulſivos* affectus delabuntur; quemadmodum aliàs homines *valde ſenſiles adverſa* objecta *nimio* affectu averſationis excipientes eadem viciſſim immoderato, impatienti ac vehementi *reluctantiæ* affectu proſequuntur, ut ea propter accuſatio *teneri generis nervoſi*, niſi illa *major* Senſibilitas intercedat, *minime* digne ac congrue pathemata infantia morboſa explicet, ſiquidem *erronea* concluſio eſt, quaſi propter *teneros* nervos, *facilius* ſpaſmi & convulſiones in infantibus occurrant, cum *rectius* qualitas illa materialis *teneritudinis* in nervis, cum *debiliori* motu cohæreat: at tamen inter infantes obſervatur etiam, quomodo interdum unum individuum præ altero firmius, *robuſtius* ac

den-

densius existat, inde innotuere formulæ loquendi: es sey ein zärtliches, schwaches, schmächtiges, geringes, hinfälliges, aut ein starckes, hartes, vestes, stammhafftes, dauerhafftes Kind: quare satis sæpe mulierculæ nonnullorum infantum robur ac duritiem mirantur: sie hätten nicht gemeint, daß dieß Kind so viel hätte ausstehen, oder eine so harte Kranckheit überstehen können, man hätte keinen Heller mehr vor sein Leben gegeben rc. quam ob rem infantes gentis *agrestis* firmitate ac robore naturali, nec non *insensibilitate* civicos superant, quæ *differentia* quidem in ætate infantili obvia, à nobis pariter agnoscitur, ita ut hæc durities ex infantia in *reliquas* transeat ætates, insuper etiam magis magisque *accrescat* & increbescat; attamen in ætate *provectiori* & firmiori hæc Insensibilitas magis *manifesta* & eminentioribus phænomenis magis præstans & luculenta existit: quare in ætate *communiter firmiori*, in qua utplurimum homines *plus* perferre possunt & solent, hæc qualitas *crebrioribus* ac solennioribus documentis & testimoniis se probat.

§. III.

Præterea ratio habenda est *Sexus:* in qua indagine iterum discrepantia & limitatio observari meretur: ita enim Spiritus S. *Fæmininum* Sexum 1 Pet. 3. v. 7. *vas infirmius* nominat, siquidem comparate quoad *communem* vivendi ordinem, aut in qualitatibus, quas fæminæ cum *altero* sexu *communes* habent, animo & corpore magis teneræ ac sensibiles illæ existunt, eaque propter *rarius*, quam *masculini* sexus subjecta qualitate Insensibilitatis præditæ sunt, unde ab *elementis*, *alimentis* & *medicamentis* facilius, citius & potentius alterantur, dum per *di-*

 vinam

vinam ordinationem *viri* magis ad *laborandum* ac perferendum destinati sunt, cui ordini assidue & strenue pro virium *individualium* modulo operam dantes ac obtemperantes, virili magis robore instruuntur, ac vicissim *indulgenter* viventes robur naturæ *emolliunt* & sub virili sexu *effæminatas* naturas nanciscuntur; *alterius* vero disquisitionis observatio est, quod in nonnullis *specialissimis* & ad sexum *fæmininum* spectantibus alterationibus *relative* fæminæ *plus*, quam juxta *communium* circumstantiarum æstimationem viri perferre queant; quæ consideratio tamen *alio* loco curatius pensitanda erit: Porro conferenda erit conditio *Temperamenti*, in cujus qualitatis æstimatione & dijudicatione præc. *Cholerici*, nec non *cholerico-melancholici*, ut & *melancholico-cholerici* temperamenti homines *ænea* velut præcordia gerunt, ac valde *duras*, arduas asperasque circumstantias & offensiones perferre, perdurare & subjugare solent; de quibus vulgo eloquuntur: Sie haben Eisen-Stahl-und Marmor-veste Naturen, hisce temperamentis reliquæ species omnino cedunt: quare ad res, operationes, expeditiones ac regiones *arduas* perferendas tales homines *præ aliis* aptissimi existunt: Subinde consideranda est ratio *Nativitatis* ac Generationis, siquidem *fortes* gignuntur a *fortibus* & quale ovum, talis corvus: ob id in *historia naturali* innumeris observationibus ac testimoniis probatum est, quomodo quædam familiæ alias *sanitate*, robore & *longævitate* superent, nisi *singulares* causæ & alterationes intercurrant, quæ cum *communi* observatione confundi haud debent: ad hanc observationem referri meretur *analoga* annotatio, quod videlicet pedetentim

cum

cum *ſeculorum* accremento naturæ hominum magis *enervatæ* ac emollitæ fuerint, dum *antiquiores firmiori* ac conſiſtentiori robore *plus* inſtructi recenſentur; adeo ut qui *priſcos* teutones cum *recentioribus* conciliáverit, eximium inter utrosque inveniet diſcrimen; inde contigit, ut quo tempore inter homines *luxuries* ac intemperantia magis increbuit, tunc naturæ hominum magis *infirmæ* ac fragiles, adeoque a *tali* inſenſibilitate, quæ ad vitæ ac ſanitatis *confirmationem* ſpectat, remotæ & alienæ redditæ fuerint, id quod innumeris exemplis ex hiſtoria univerſali atque gentium probari poteſt: Cum hac circumſtantia convenit *hæreditariæ* diſpoſitionis conditio, dum non raro per naturalem *generationem* particulares qualitates propagantur: unde tranquillior, placidior ac *moderatior*, ac viciſſim magis *adverſa*, moroſa & impatiens rerum æſtimatio ac tolerantia, æque ac *aliæ morales* affectiones per *hæreditatem* communicari ſolent: nec rarum eſt in curatiori obſervationum ſcrutinio reperire, quomodo *ſpecialiſſimæ* notatuque valde dignæ qualitates in natales transferantur, hinc exempla occurrunt, quod eximium atque extraordinarium *robur* corporis, aut *appetitus inſatiabilis*, ac in res *abſurdas* ruens per *hæreditatem* connatus ſit, ſicut KORNMANNUS *de mirac. viv. p. 213. ſeq. exempla* de *hæreditariis quorundam virtutibus & facultatibus* commemorat: Hiſce reſpectibus addimus conſiderationem *Educationis;* hæc in *variis* caſibus multum contribuit ad *indurandam* naturam, præc. ſi infantes *mediocri* robore naturali præditi, nec a *nativitate* valde *debiles* ac infirmi ſunt; quam ob rem infantes non *molliter*, indulgenter, pretioſe ac delicate educati,

cati, firmiori virium ac tolerantiæ robore instruuntur, de quibus vulgo dicunt: Diese Kinder sind von Mutter-Leib her abgehärtet: dum enim in *tenellula* ætate natura humana valde *flexilis* est, ita facile *emolliri* ac *infirma* reddi potest, inde oriuntur verzärtelte, verhätschelte, verzogene Kinder: quando vero *mature*, ast cum prudenti *moderamine*, aliquando circumstantias *arduas* & *asperas* experiuntur, tunc firmiores & *insensibiliores* evadunt; cum quo respectu multum & frequenter ratio *consuetudinis* concurrit: ast quando usui rerum *non-naturalium* paulo *liberaliori* ac crebriori applicantur, quamvis non semper eidem adsuescant, nihilominus inde aliquale robur *consistentius* acquirunt: & cum hac causa admodum coincidit ratio *vitæ generis*, quæ ab educationis sphæra haud separari potest, dum non modo respectus Educationis directorium *morum*, *inclinationum* & *affectuum* animi, sed & *diætæ* & *regiminis* reliqui moderamen, complectitur; quæ singula momenta etiam ad vitæ genus pertinent: tandem *succincta* ac cursoria ratio habenda & mentio facienda est *Consuetudinis*, qua eximie nititur augmentatio ac confirmatio *roboris* naturalis, nec non illius *Insensibilitatis*, quam hoc themate explicandam selegimus; quemadmodum enim res *insuetæ ægre* perferuntur, ita consuetæ *parum* alterant, sed *firmiori* qualitate tolerantur, ut quando in naturalibus duo idem faciunt, non idem sit, mox etiam vulgaris resonet causa: es komme viel auf die Gewohnheit an, wie man sich gewöhne, so sey und bleibe man: hac enim consuetudine naturæ hominum modo *corrumpuntur*, emolliuntur & enervantur, alibi *confirmantur* & roborantur: Quas *qualitates* brevi commen-

men-

mendatione annotare voluimus , dum Inſenſibilitatem hominum quadantenus explicare debemus.

§. IV.

Priusquam *hiſtoricam* hujus Inſenſibilitatis explicationem tradamus, primo loco indicabimus, quod utriusque tam *Senſibilitatis*, quam *Inſenſibilitatis* modificatio, adminiſtratio ac directio *Animæ rationali* competat, *haud* vero *corpori*, aut hujus *materialibus* reſpectibus *primario* tribui mereatur; nam in Senſu *proprio*, genuino ac *naturali Senſatio* nihil aliud eſt, quam *rationalis*, comparate *reflexiva perceptio*, annotatio, aut obſervatio in & cum *apto* organo alicujus cauſæ, aut alterationis ad & *ſupervenientis*, organum illud *diverſimode* afficientis, cum qua perceptione confeſtim conjungitur rationalis ille affectus *æſtimationis* & dijudicationis, dum contingens illa cauſa, aut pro *adverſa*, *mala*, infenſa, aliena & pernicioſa, aut *grata*, accepta, ſuavi, utili, bona, aut *indifferenti* declaratur; nec quempiam hæc aſſertio confeſtim eapropter offendere debet, quaſi Senſatio & Senſibilitas *propterea* operatio *rationalis* animæ eſſe nequeat, quia eadem in animalibus *brutis* etiam obſervatur, quoniam ſaltus illationis & concluſionis *ab homine ad bruta* adhuc variis *exceptionibus* ſubjectus, proinde *nondum* ac nullibi probatum & demonſtratum eſt, quo bruta *omni* ratione, *comparate* ipſis tribuenda ac neceſſaria, *deſtituta* ſint: quodſi vero quisquam rationis ſuæ, ac Senſuum ſuorum capax totum proceſſum Senſationis inquiſiverit & annotaverit, levi facile judicio agnoſcet, quod *nulla* Senſatio *irrationalis* eſſe queat, ni alia ſentiens, craſſas reſpectuum & requiſitorum, huc pertinentium, confuſiones committere

tere mallet: *ubicunque* itaque in *qualibet* corporis *regione* ac *parte* Senſatio occurrit, ibi hanc *nullæ* cauſæ *corporeæ* formant & efficiunt, ſed quia ipſe actus eſt *idealis* ac *intellectualis*, ergo eſt *immaterialis*, ergo *proprie* & proxime a cauſa *immateriali*, ſpirituali & in corpore humano ab *anima rationali* perficitur: naturalis itaque ac *neceſſaria* eſt concluſio & conſequentia, quod anima illa virtutem ſuam ſenſitivam non modo ad objecta, *extra* ſuum corpus poſita, hoc tamen velut e *diſſito* afficientia, ſed & ad objecta proprii *ſui corporis*, ſive in *peripheria* hujus, ſive *intimioribus* locis ſita & obvia applicare & extendere queat: ſi itaque quælibet *membranæ nervoſæ*, *tunicæ* & *partes* nerveæ in *interiori* corporis tractu *ſenſibiles* vocantur, tunc facultas ſenſationis *nulli parti propria* & genuina eſt, ſed ab eadem anima *rationali* a ſobria & ſibi conſtante, nec delira ratione derivari debet: nam certe indigna, aut commiſeratione digna & ridicula illa eſt exceptio, quæ vix a tyrone logicæ & anatomiæ percipi & expectari deberet, quaſi per nervos *non ita nude & ſimpliciter ſenſationes fieri poſſint*, quoniam *requiratur*, *ut debitum iſtis in locis*, *in quibus ſenſatio peragi debet*, *obtineant ſitum*, *aptaque gaudeant conſtitutione ac ſtructura:* quis non vel mediocri judicio præditus hanc abſonam, frivolam, petulantem, ſi non abſurdam agnoſcat exceptionem & *infrunitam oblocutionem?* non ſufficit ſane ita barbare & bruto velut ſenſu in diem ut ajunt effari & effutire, quicquid in buccam venit: etenim *omnes* partes ac regiones nervis inſtructæ, *ſenſibiles* utiq; ſunt, nec refert, an nervi ſitum, conſtitutionem & ſtructuram peculiarem habeant, unde apex digiti pedis æque ſenſibilis

eſt,

eſt, ac vertex & apex narium, neque tamen eapropter quia quælibet regio *generatim* ſenſibilis eſt, *una alterius* officio fungi debet, ſiquidem æque minus apex narium ac extremitas digitorum, aut thalamus cordis olfacit, ſicut ob *totam* organi conformitatem homo naribus integris olfacit & non incedit, nec pedibus olfacit, ſed progreditur; unde fruſtra & nonniſi per fictionem ac fabulam nervorum *ſpecificus* ſitus & peculiaris *conſtitutio* atque *ſtructura* ſupponitur; quemadmodum pueri ex logica cognoſcunt, quod a particulari ad univerſale non valeat conſequentia; æque ac ſi quis per ridiculam inſtantiam concludere vellet, quia quælibet pars *ſpeciali* gaudet ſtructura, ergo ſenſatio, in eadem fieri & occurrere haud poteſt: ſiquidem ſermo non eſt de *conformitate gradus* ſenſationis, ſed de illa veritate, quod in *quacunque* parte, *nervis* prædita, in *ordinario* œconomiæ vitalis ſtatu, ſenſus adminiſtrari queat; *omnis* vero ſenſus in genere *percipit* & obſervat, quicquid eidem parti accidit, deinde vero *omnis perceptio* conjuncta eſt cum *æſtimatione* illius, quod percipitur, modo ſenſus non ſit *abſolute* turbatus; ergo in corde, cerebri nervoſis partibus, diaphragmate, ventriculo, inteſtinis &c. ſenſatio ſuccedit, prout hisce partibus competit; licet eapropter, *quia ſenſibiles* hæ ſunt partes, nec guſtare, nec olfacere, neque audire debeant, quia venter caret auribus, naribus, ore &c. interim æque *illo miniſterio* & ſubſidio eædem partes ſenſibiles fiunt ac exiſtunt, quo omnes aliæ, videlicet adminiculante *tactu*: quod vero illam excuſationem illudque refugium attinet, ac ſi nervi non *omni loco ad ſenſationem apti ſint*, *ſed illi tantum*, *quarum extremitas in membra-*

 nam

narum papillas fibrillasque abit; tunc huic fictioni atque asylo repugnat communis observatio, quod nervorum capaciores rami in quolibet loco ac puncto compuncti *valde sensibiles* sint, indeque etiam eximia pathemata originem ducant; deinde communi medicorum suffragio asseritur, quod causæ materiales nervis infensæ, utpote variæ salsedines, non modo fibrillis ac papulis, sed *universo* nervorum tractui inimicæ sint, præterea in *omni puncto physico* membranarum, tunicarum, aliarumque partium nervosarum Sensus est, id quod abunde satisfacit ad demonstrationem, quod in *interna* & *externa* corporis regione anima rationalis sentiat; imo quod non modo in *abstracto* ac generatim sentiat, sed *interne non aliter*, ac in *aliis* partibus sensationis officium exequatur, videlicet an illud, quod percipitur, *æstimationi individuali* gratum, aut ingratum sit, hinc pro diversitate illius dijudicationis & æstimationis *uni gratum* est, quod *alteri adversum* existit, in qua discrepantia anilis, effæminata & fatua esset ratio & excusatio, quasi juxta prædictum præjudicium *diversus* adsit status, *situs*, constitutio & *structura* discrepans nervorum, nec non in hisce *diversa papillarum*, membranarum & fibrillarum fabrica: siquidem de occultis non judicat Ecclesia: ex qua animadversione facile elucescit, in quæ absurda oblocutionum schemata animus præjudiciis oppressus, nec sobrie assumens atque concludens delabi queat, ut eapropter pudeat sane tempus *horum crepundiorum* ac facetiarum discussioni impendere, quemadmodum alii fungi & fursures, qui contra *Sensus vitalis* existentiam producuntur, imbecilli cerebri & contorti judicii fœtus sunt.

§. V.

§. V,

Eſt itaque hæc Inſenſibilitas, ut præmonuimus, *pacatior*, tardior, *remiſſior*, *moderatior*, patientior ſinguli Senſus exercitatio; quam ob rem in Hiſtorica illius explicatione primo loco a *digniori* reſpectu ortum capere placet: occurrit itaque aliquando in ſubjectis *internorum* Senſuum Inſenſibilitas, quæ nonnunquam a *negligentiori* illorum cultura & exercitatione provenit, dum in ordinario ſtatu homines *omnibus* internis Senſibus præditi exiſtunt, non pauci vero hominum tardioris, *ſtupidioris* ac negligentioris ſunt animi; comprehendunt quidem objecta & ſubjecta ad illorum ſenſuum administrationem ſpectantia, haud tamen adeo *prompte*, *alacriter*, fortiter & acute, ut *alii* ſolent; unde eadem ob- & ſubjecta reliquo *voluntatis* ac arbitrii moderamine haud ita efficaciter ac vegete diriguntur, ut in aliis individuis fieri ſolet: quando vero nonnullorum animus excolitur, *exercetur*, erigitur ac inſtruitur, tunc omnes illi interni Senſus *excitatiores* ac operoſiores exiſtunt: ita viciſſim aliqui vires animi *connatas* & *qualificatas* denuo *negligentes*, *torpidiorem* ac inertiorem illarum ſibi conciliant qualitatem, proinde res obvias *incurioſius* ac negligentius advertunt, æſtimant ac *alio* affectu animi *tardius* proſequuntur: inde etiam evenit, ut ejusmodi *vigor* internorum ſenſuum, aut contra *torpor* horum per generationem propagetur; quare multis talis *Senſibilitas intellectualis* & *moralis*, aut viciſſim *Inſenſibilitas* connata, nec acquiſita, aut adventitia exiſtit: Proinde illa *excitatior* & alacrior, aut *torpidior* & inertior qualitas ſenſuum *internorum* quoad Species discre-

pat, dum in aliquibus *Senſus communis*, expeditior & *citatior*, inde etiam intentior & *intenſior* eſt, ſie können bald etwas faſſen und begreifen, ac in aliis *ſimilis* attentio & applicatio *vix* occurrit, inde querelæ percipiuntur, ſie hätten wohl den Kopff etwas zu begreifen, aber ihre Gedancken wären auf andere Dinge gerichtet; & quemadmodum quidam homines *æque* communi ſenſu præditi ſunt, tamen in hiſce uſus & *exercitatio* illius Senſus *torpidior*, ac ſtupidior, quam in aliis obſervatur: Et ita alii homines *firma* ac fœcunda reminiſcentia & *memoria* inſtructi ſunt & quicquid audiunt, *ſubita* retinent recordatione, cum viciſſim *alii difficulter*, tarde & ſegniter relata & audita memoria complectuntur atque retinent: Simili modo differentia majoris vel minoris *Senſuum aliorum* internorum applicationis, aut *Senſibilitatis* & *Inſenſibilitatis* obtingit; quemadmodum varii homines in una aut altera mentis operatione perquam *delicati*, flexiles, *operoſi*, vigilantes, præcipites & valde inquieti exiſtunt, quæ qualitas *majorem* Senſibilitatem in una alterave facultate animi prodit, cujus *diminutio* adeoque Inſenſibilitas in *aliis* ſubjectis viciſſim obſervatur, inde innotuere formulæ: dieſer oder jener ſey ein empfindlicher Menſch, es könne ihm leicht ein Wort, eine Mine, ein Tritt offendiren: aut viciſſim, er ſey ein verträglicher Menſch, er attendire und verüble einem nicht alle Wort ꝛc. quid quod nonnulli in aliorum dicta, *verba*, mutationes *vultus* adeo ſenſibiles ſunt, ut ſubito inde offendantur: v. g. *mechanicæ* medicinæ ſe ut mancipia conſecrantes, ob nudam *animæ* & naturæ vocem & commendationem adeo inflammantur

tur ac inſultant, ut prudentes mirari ſoleant, cur tanta nonnullis adſit incontinentia, qua tyrannide vehementique ardore animam & naturam invadunt, adeoque nude *nominali* notationi ſtomachantur: alii contra aut ob *moderationem*, aut *incurioſitatem* animi non ita ſubito voces, propoſitiones & aſſerta apprehendunt, ſed quaſi *non auditas* negligunt, quæ qualitas æque *certo* reſpectu *inſenſibilitas* appellari poteſt & vel a *nativitate* vel ſucceſſiva *adſuetudine* originem trahit, adeo, ut in *anima* & *corpore* aut in operationibus *animæ* & *vitali* œconomia corporis illa multis documentis indicari & probari queat; quare *haud neceſſitas* urget *aliam originem* illius Inſenſibilitatis in reſpectibus *intellectualibus* & *moralibus*, aliamque in *corporis* modificatione ſtatuere & ſupponere, quoniam in poſteriori *non ſimilitudo* Inſenſibilitatis, ſed *realis* inſenſibilitas exiſtit, quam corpus non quoad ſuam *formam* immutare & *mechanicam* aut materialem reddere poteſt: quo *minus* enim Senſibilitas affectio *mechanica* eſt, eo minus illius *minor* exercitatio, aut aliqualis *remiſſio* talis affectio eſſe poteſt; ſicut ille motus, qui ab anima *volente* producitur & certis membris communicatur, denique juxta animæ *voluntatem* exercetur, intenditur, remittitur, mutatur &c. animæ ipſius & *minime corporis*, aut *mechanicæ* cujusdam facultatis eſt: unde liquet, quomodo in generalibus animæ operationibus & *Senſibus internis* tam Senſibilitas, quam Inſenſibilitas *Perſonalis*, aut individualis ſæpiſſime deprehendatur.

§. VI.

Similis Inſenſibilitas obſervatur pariter in Senſuum

um *externorum* uſu, dum in præſtantiſſimo *Viſus* officio non pauci homines *ſatis agiles* ac expediti ſunt, licet non æque in *organo* notatu dignum *vitium* deprehendatur; ita ſeorſim *phlegmatici* temperamenti homines, haud *ſingulari* cum *acie*, aut intenſione oculis uti ſolent, ſed ſatis torpide ac *incurioſe* objecta intuentur & quidem non raro ob ſegniorem, aut *remiſſiorem* applicationem at - & intentionis; hinc varia objecta, aliorum *ſenſibiliorum* individuorum oculos celeriter & *efficaciter* afficientia, illos *laxius* commovent, quamvis *comparate* vegetius hoc ſenſorio uti queant: non minus *Melancholici* homines *metu* quaſi occæcantur & ob *ſuſpicionem* ac *diffidentiam* acie ſuorum oculorum haud condigne utuntur; quare in relatione ad *alia* temperamenta quoad *hujus* Senſus miniſterium atque officium inſenſibilores ſunt: hinc alii lynceis oculis valde agiles, volubiles & attenti, alii viciſſim talpa cæciores ſunt: Æquale quid contingit in olfactu, qualem nonnulli homines in *eximia alacritate* poſſident, ut ab omnibus valde delicati ac ſenſibiles naribus declarentur, dum olfactu percipiunt ac penetrant, quod *multi alii*, æque ſani, minime ſentiunt, quem olfactum eapropter einen ſcharfen, ſubtilen, leichten Geruch nominant: id quod tanto magis in *tali* facultate obtingit, quæ cum *idioſyncraſia*, *ſympathia*, *antipathia*, *hæreditaria* diſpoſitione & *conſuetudine* coincidit, viciſſim aliorum olfactus adeo obtuſus ac mutatus eſt, ut interdum ſubtilia ſuaveolentia & phyſico contactu fibrillas narium nervoſas valde afficientia vix percipiant, alia vero graveolentia facile & cum delectatione excipiant: cujusmodi hiſtorias refert CASP. REJES *Camp. Elyſ. juc. qv. 93. n. 7.* ex

ZAC.

ZAC. LVSIT. *Prax. admir. Lib.3. obs.99.* ut & ex LEVINO LEMNIO *de occult. nat. mirac. Lib. 2. c.9.* quod *exemplum cujusdam rustici est, qui Antwerpiæ cum ad officinam aromatariam devenisset, animi deliquio statim correptus periclitari cœpit, in quo agone a proximo quodam, qui similis eventus forsan notitiam habuerat, confestim admoto naribus equino fimo adhuc tepenti ac fumido animam revocavit, erat enim hujusmodi odoribus & equorum excrementis adsuetus, quibus horum hominum natura magis recreatur, quam suaveolentis & delicatis aliis, à quorum suffitu & odore non parum læduntur, ut aliquando consternati in lipothymiam incidant:* addit porro cit. REJESIUS : *Adeo enim facile natura nostra cum omnibus convenit, ut tetris etiam & fœtidis si adsuefiat, non solum libenter ferat, sed a contrariis, optimis licet, subito occupata repente corruat, ac in lipothymiam facile incidat, ut plurimis ex odoris fragrantia accidisse sæpius visum est: qualiter carnificis Wittenbergensis servo pharmacopolium quædam comparandi gratia intranti similiter accidisse tradit* PHIL. SALMUTHUS *Cent 3. obs. 71. quem ex odorum fragrantia exanimem cum pharmacopæi ministri præstantissimis ac suavissimis aquis recreare non potuissent, ipse adveniens carnifex ad cloacam illum deferens, adsuetis illum breviter refecit.* Ita etiam res procedit, cum *Gustus* & *Auditus* Sensu, qui in aliquibus subjectis acutior & agilior i. e. *sensibilior* & delicatior, in aliis hebetior ac segnior i. e. *insensibilior* existit : Præterea talis Insensibilitas in consuetis subjectorum *moribus* ac inclinationibus, nec non *animi affectibus* observatur, dum quoad illos nonnulli homines satis *incultos*, rudes, morosos & asperos possident, quibus actiones suas perquam incuriose, *obliviose*, transi-

 torie

torie ac ſuperficiarie tractant, de quibus alii adſerunt: es wäre in ihren Sachen ein laues, unachtſames, leichtſinniges, abgeneigtes Weſen, *qualis* qualitas communiter cum ratione *temperamenti* concurrit; quare in negotiis ſuis administrandis non adeſt *vigor*, attentio, proclivitas, aſſiduitas, beneplacitum ac *jucunda* æſtimatio, unde etiam *deeſt expedita* ac vegeta actionum proſecutio, nec non matura ac operoſa finium promotio: der Menſch habe zu nichts ſonderlichen Luſt, ſey zu allen Sachen ungeneigt, nec digni rerum ſunt æſtimatores: ſimile quid in *animi affectibus* variis ſubjectis familiare eſt, in quibus *ægerrime* affectus moveri poſſunt, quemadmodum de Senſibilibus dicitur: ſie wären leicht zu bewegen, ſie hätten ein weichlich Hertz oder Gemüth, ſie wären geſchwind aufzubringen, wären geh zornig, könnten ſich über eine geringe Sache ſehr entrüſten: contra vero alii duri homines, quibus animus eſt *pertinax*, difficulter affici poſſunt, ſie wären harte Menſchen, könnten nicht leicht erweicht oder beweget werden, *tardi* ſunt ad plurimos affectus animi, man müſſe ihnen ſehr grob kommen, wann ſie ſolten aufgebracht werden, ſie könnten etwas ohne Bewegung hören und ſehen: hiſce annumeramus *Miſomagos* & alios, qui res ſonticas *indifferenti* animo excipiunt: excipimus vero etiam illos, qui ſe aliquando ita inſenſiles *ſimulant* atque affectum magis celant, inque *præcordiis* occultant.

§. VII.

Adnotanda jam venit Inſenſibilitas perſonalis in *animalibus* ita dictis functionibus: quidam enim homines non adeo fervido pollent *Appetitu*, ſed ſatis *diu eſurire* poſſunt, nec etiam tam *impatienter* & præcipitanter *inter-*

næ admonitioni, ad cibum ingerendum, auſcultant: ejusmodi homines ſatis multi in claſſe *aurigarum*, *nautarum*, aliisque duris negotiis occupatorum, occurrunt, qui tam diu appetitum *urgentem* compeſcere poſſunt, donec diverſoria ſua attigerunt, donec jumenta, armenta, gregem, equos &c. paſtu neceſſario inſtruxerunt, donec commercia ſua valde neceſſaria expediverunt &c. tandem ſe ad victum aſſumendum componunt, de quibus valet illud *Luc. XVII, 7. 8. quis autem veſtrum eſt, qui ſe arantem aut paſcentem ſervum habeat, eum rure reverſum, protinus accubitum ire jubeat: ac non potius ſic ei dicat: para quod ego cœnem, accinctusque mihi miniſtra, donec comedero ac bibero; poſtea comedes ac bibes tu:* imo ita *duri* aliquando ſunt homines *laboribus* immerſi ac *lucri* cupidi, ut ſatis *diu* appetitus obliviſci queant: Multi homines præc. vilioris conditionis, quoad *Somnum* ad miraculum aliquando inſenſibiles ſunt, ut non modo *confeſtim* obdormiſcant, ſed & quando modo ad aliquam requiem & taciturnitatem deveniunt, aut decumbunt & ad dormiendum ſe componunt, *cito* in ſomnum delabantur, proinde *alto* ac *profundo* ſomno ſepulti quaſi deprehendantnr, ut *difficulter* excitari queant: non pauci homines inter turbas ac *ſtrepitus* perinde *profunde* dormiunt: quemadmodum alii, quibus ex *crapula*, aut *narcoticorum* uſu ſenſus *ſtupefacti*, relaxati ac hebetati fuerunt, *veterno velut* correpti obſervantur, ita ut ſub ſomno contundi, pungi, comprimi, alioque *craſſo* modo tractari queant, ut vix evigilent; qualis ſtatus ſatis manifeſtam Inſenſibilitatem prodit: Quoad motum *localem*, aut *voluntarium* ineffabilis hominum numerus *tanta duritie* pollet, ut ad *ardua* velut nati videantur, dum

molestias, difficultates ac pericula *haud tanti* æstimant, quin *strenuo* vigore omnia negotia aggrediantur & prosequantur, qui si adeo delicati & sensibiles essent, *tantos* labores magis expavescerent ac aversarentur; quare ejusmodi operosi & laboriosi homines ad jumentum & subjuge animal æquiparantur, es sey ein harter Mensch, der nur zu Püffel-Arbeiten zu gebrauchen; hinc tam cito *non delassantur*, sed sub illa *rudi* qualitate ac Insensibilitate in *arduis* administrandis ac perferendis velut *indurati* sunt: dum contra sensibiles homines omnes labores velut ad lancem & æquilibrium æstimare & mensurare solent, de quibus germani per modum proverbii eloqvuntur, es sey ein zärtlicher Mensch, der keinen Finger ins kalte Wasser bringe, oder keine dicken Bretter durchbohre: Sic nonnulli in perferendis *Vigiliis*, æque satis *duri* ac *insensiles* sunt, ut in admirationem ducere liceat, quomodo sub breviori somno, dum *quatuor*, quinque horas aliqui dormiunt, *dura* & aspera negotia tamen sat *strenue* subire & perficere queant; cum vicissim sensibiles quando sufficienti somno haud fruuntur, sed paululum *ultra modum* vigilias agunt, mox multiplices animi ac corporis *molestias* atque afflictiones experiantur: ob id homines *somnolenti* arduis operibus administrandis minus respondent, & dicuntur: Menschen, die nicht viel ausstehen können: si qui itaque *durius* vitæ genus eligunt, cui operam dare contendunt, talibus etiam qualitatibus adsuescere ac *pristinæ* mollitiei ac Sensibilitati *abdicare* se debent: quam ob rem etiam homines tali Insensibilitate instructi, *molliorem* vivendi rationem quoad hasce *animales* functiones, perferre haud possunt, sed potius sub tali *duriori* statu, *firmiori* ac constantiori pariter

riter

riter fruuntur ſanitate, luculento ejusmodi hominum teſtimonio, qui *mutationem* quoad illas functiones ſuſcipiunt, unde valetudini *parcere* cogitant, ſed non modo inde in *adverſam* valetudinem delabuntur; ob id plurimi homines *diſtincta longævitate* inclaruere, qui tali *comparata* Inſenſibilitate præditi advertuntur, & multi, qui *prœmatura* morte ſuccumbunt valde Senſiles ac delicati obſervati ſunt: dum itaque in *hiſce* functionibus creberrima ac perquam evidens Inſenſibilitas occurrit, quidquod dum illæ functiones *animæ rationali* admodum ſubjacent, ita facile ex *hiſtorica* hac explicatione inclareſcit, *quantum* commercium *animæ* huic *rationali* cum Senſibilitate & Inſenſibilitate intercedat; unde *ſanæ* rationi magis reſpondet haſce qualitates ab *anima* illa, quam cauſis *corporeis*, quoad proventum, aut originem derivare.

§. VIII.

Præter haſce functiones, in ordine nunc *vitalem* œconomiam allegare & conciliare volumus, in qua æque ſimilis Inſenſibilitas, aut *robuſta* & conſiſtens firmitas atque *durities* obſervari ſolet: multorum *Longævitas* hac qualitate nititur; unde a teneris *ſani* plurimum ac vegeti exiſtunt: quod itaque *motus* ita dictos *vitales* attinet, tunc in iisdem & *pulſu* cordis, & *tono* partium, & *progreſſu* humorum & *reſpiratione*, ſub comitatu lepidorum ſuppoſitorum, videl. elateris, ut & fluidi nervei, nec non decantati illius *æquilibrii* mechanicorum, quod in applicatione ac concreto, *non entibus*, aut figmentis annumerari meretur, nullus menſuratus ordo obſervatur; ſiquidem vita *nude mechanica*, juxta *veram* ſuam interpretationem & diſquiſitionem vix *durationem unius diei* promittit, adeo

ut quo *magis rigorose* ac exacte, *juxta tales leges*, homines vitæ suæ œconomiam instruere mallent, eo certius, facilius & frequentius sanitatis gravia *offendicula* experirentur; quare homines in *simplici* tramite vitæ *naturalis* decursum servantes, majori ac potentiori privilegio *sanitatis* secundum ordinem causarum *naturalium* gaudent, in quo tramite *haud* ita *scrupulose* ac sollicite vitales processus tractantur, dum *vario modo*, ast *sine* præjudicio aut offendiculo mutantur, siquidem sub assiduo & sæpe *strenuo* motu *voluntario* nunc *respiratio augetur*, pulsus cordis *intensior* ac fortior redditur, *progressus* sanguinis acceleratur & *incitatur*, nec non *fibrarum motricium* vis & applicatio intenditur; nunc vero iterum quælibet harum actionum *moderatius* administratur, sub qua *multiplici* variatione nihilominus ejusmodi subjecta *firmiori* Sanitate fruuntur; talis *moderata vitalium* functionum immutatio, subjecta *magis firma* & ad *alias* mutationes perferendas *apta* reddit; dum vicissim illi homines *indulgentius* ac *anxius* corporis *commodo* regimini servientes, de quibus dicunt: es sind Menschen, die keinen unsanfften Tritt thun, sensibiles ac *valetudinarii* evadunt, ob id labor, motus corporis, & connexa motuum vitalium *congrua* ac *tolerabilis* intensio & variatio homines *firmos*, robustos & à *præjudiciosa mollitie* alienos reddit: quare *haud* pro *sanitate* militat, si *cordis motus* semper *uno eodemque* gradu, tenore, ordine ac rhythmo procedit, aut si reliquæ fibræ motrices nihil immutato motu agitantur, quoniam sub *vicissitudine* vitæ humanæ *variæ* causæ, *vitales* motus *proximius* concernentes, accidunt, quibus cum *congrua* illorum motuum mutatione subveniendum est, ne in corporis *detrimentum* vergant:

gant: inde facile elucescit, quod *mediocris* ac repetita *vitalium* horum motuum *intensio*, futuris imminentibus vitæ ac sanitatis *periculis* subjugandis, inserviat & ipsa subjecta ad subeunda strenua talia officia in *extraordinario* ac insolito statu vitæ œconomiam defendentia apta reddat atque disposita: quorsum aliqualis *comparata* Insensibilitas, cum iisdem *vitalibus* motibus conjuncta, quadrat, sub qua natura hominum obstacula & offendicula intervenientia *haud metuit* & expavescit, sed iisdem cum *robusta* virium applicatione *resistit;* quando enim *eadem* natura, quippe *vitalium* motuum *genuina*, vera & rationalis causa, cum *minori* Sensibilitate aut mollitie, adeoque *relativa* Insensibilitate, objecta vitæ & sanitati *inimica* aggreditur, tunc *luctus naturæ* contra causas *morbificas* utplurimum *meliori* decurrit successu: cujus observationis *manifestum* testimonium occurrit, in subjectis *timidis*, anxiis, abjectis, *sensibilibus*, morbos aut malignos, aut alios abhorrescentibus, quæ citius iisdem corripiuntur, ac vicissim aliis, *durities*, robur, firmitas, ac insensibilitas præservativum *humanum* adversus varios *arduos* affectus existit: etenim multifariæ causæ morbosæ *vitales* hosce motus admodum afficiunt & *alterant;* si itaque iidem in nulla *gradus*, *modi*, *ordinis* ac *successus* mutatione *exercitati* sunt, tunc sub *insolitis* & *extraordinariis* alterationibus facile opprimuntur: qualis *parallelismus* in *omnibus* reliquis humanis actionibus obtingere solet: unde multum interest, ne natura humana cum motibus vitalibus *nimium sensibilis* existat, sed potius ut eadem *congrua* Insensibilitate, *haud* tamen stupore & torpore, circa eosdem occupata sit, ita *adversa* & perniciosa objecta *moderatius* tractabit, nec

in

in *perversas*, turbulentas ac excedentes commotiones delabetur.

§. IX.

Nunc brevi commemoratione *naturalium* etiam functionum mentionem facere lubet: Quoad *Concoctionis* itaque negotium, innumeri deprehenduntur homines, qui non modo *eximio ventriculi robore* pollent, sed &, qui (quod præc. ad *præsentem* tractationem pertinet) *talia* alimenta, horumque mixtiones, præparationes ac condimenta perferunt, quæ multis aliis individuis multa *incommoda* accersunt: inde elocutiones innotuere: sie hätten einen gesunden, harten Magen, sie könnten alles untereinander essen und vertragen; in qua observatione ridiculum esset, si *tenerum genus nervosum* accusare velimus, dum *non raro* homines corpore *teneriores*, *hac* facultate alios *proceriores* superant: ubi sæpe multum tribuitur consuetudini ac moribus *provincialibus* der Landes-Art: hinc vicissim homines quoad *victum* nimis *delicate*, molliter, exacte ac conscientiose viventes, suam *firmitatem naturalem* seducunt, *corrumpunt* ac destruunt; *variis* enim cum subjectis *commercium* suscipientes, varia etiam tolerare & perferre discunt: quare quidam mirantur, cur nonnulli homines non modo parasitarum more indies *sine offensione* aliquandiu *varia* ingerant, sed & in *quotidiana* ratione suæ *diætæ varia* perferre possent, quales homines nominant: Küchen-Gucker und Topff-Lecker, die alles benaschen und vertragen können: & hi certe hanc qualitatem *non* a *mechanica* ventriculi dispositione possident, dum in illa qualitate multum etiam tribuendum est *hæreditariæ* dispositioni & *consuetudinis* rationi, quas qualitates ad hodiernum

usque

usque diem *mechanici* medici *nondum sobria* ratione resolvere sciunt, sed ridiculis *suppositis* ac lepidis *figmentis* colorare nituntur: sic dantur homines, qui hanc aut aliam speciem aquæ, cerevisiæ, carnis, fructus &c. perferre nequeunt, alii vero gloriantur: ich kan alles vertragen, wer mag sich so zärtlich halten, stellen oder gewöhnen: quid quod illi, quibus antehac opipara mensa familiaris fuit, quando nunc in *curtam* supellectilem ac *viliorem* vivendi rationem immutantur, simpliciori ac viliori victui adsuescere debent, dicunt: die Noth hat mich gelehrt diß und jenes zu essen und zu vertragen: Simile quid succedit cum *reliquo digestionis* negotio, quod totum *intestinorum* tractum cum *connexis* aliis functionibus in *consensum* trahit; hinc multi homines satis *rudes*, *crassas*, *crudas* ac intemperatas substantias *absque incommodo* perferunt, quemadmodum innotuere homines, qui vitra deglutita, ossa, solidos nucleos, lapillos aliaque absurda tolerare potuere, quod similiter sub *pica* hominum, præc. *gravidarum*, succedit, in quibus ob fervidum & *immoderatum* talium subjectorum appetitum, *adversa* horum qualitas *haud* ita *ægre* æstimatur, sed patientius *toleratur* & tranquillius tractatur, in quibus etiam genus nervosum, utpote immutatum, probari haud potest: unde etiam sine damno talia subjecta, (juxta æstimationem *physicam* & *mechanicam* perniciosa & *absolute* inimica) *perferuntur*, iterumque *leniter* egeruntur, quod fieri *minime* posset, si tales naturales functiones sub *absoluto dominatu* & necessitate legum *mechanicarum* subsisterent, quales observationes etiam ejusmodi physico-mechanica theoremata *nunquam* explicare possunt, sed tantum admirari debent, id quod *D. D.* PRÆSES *in Progr. de*

E Natura

Natura quatenus idolo & asylo ignorantiæ Medico fusius explicavit: Loquimur vero de *naturali* tali Insensibilitate, quoniam a causis *præternaturalibus* eadem etiam provocari potest ac solet: quibuscunque itaque subjectis in *ordinario* ac *naturali* statu substantiæ, intestina & ventriculum quadantenus *stimulantes* aliquoties exhibentur, illa in hisce partibus successive *firmitatem* & sic dictam *Insensibilitatem* impetrant, quo minus ab *aliis mediocriter stimulantibus ægre* afficiantur: id quod etiam cum nonnullis *crassioribus* esculentis speciebus succedit, quæ *convenienter* usurpatæ, vires naturæ *non* seducunt aut *emolliunt*, sed ita *firmant*, quod in perferendis ac dirigendis *aliis* crassioribus substantiis aptiores evadant: hinc cibi *molliores* aliquandiu usurpati, vim concoctionis perquam emolliunt ac *delicatam* & *sensibilem* reddunt, ut si alio tempore paulo *duriora* ingeruntur, hæc *ægerrime* & cum multo *incommodo* contineantur: quare aliqui confitentur: ihre Magen wolten Speise haben, die einen Widerhalt geben: sic res procedit, ut, qui *post* ciborum, aliquando *consistentium* & *durorum* ingestionem, aliquoties *carminativa*, *stomachica* valde aromatisata, spiritus ardentes &c. assumunt, magis in futurum ventriculum & intestina *enervent* ac post *molliorum* ciborum usum, iisdem *confortantibus* uti teneantur, atque multiplices *morbosas* afflictiones, *concoctionis* negotium concernentes, experiantur: dum vicissim *infrequentior*, aut *exacte* moderatus talium roborantium usus, aut *libera naturalium* virium applicatio hactenus deprædicatam Insensibilitatem ac firmitatem in concoctionis officio conciliat.

§.X.

§. X.

In ordine nunc ſub ſerie *naturalium* functionum mentionem facimus nonullarum *Se-* & *Excretionum*, quæ perinde ſub qualitate *Inſenſibilitatis* interdum conſiſtunt; enim vero quod *Secretionem* attinet, tunc in quibusdam ſubjectis, (in quibus *nulla* ratio *phyſica* & *mechanica* ex ſolido, firmo & vero fundamento, ſepoſita videlicet opinione, conjectura & ſuppoſitione, reddi poteſt, cur ſecretio *citius* & expeditius, aut *tardius* & impeditius ſuccedat (ſi præc. cauſas morbificas eximamus) quin ob *præſentes* cauſas phyſico-mechanicas æque facile illa *cito* & prompte ac *tarde* & difficulter ſuccedere queat) ſecretio certarum *excrementitiarum* ſubſtantiarum *celeriter* ac efficaciter progreditur, quando v. g. certum potum ingeſſerunt, ut mox conatum ad *urinæ* excretionem, aut *ſudatiorem* experiantur, ita ut *brevi* intervallo *poſt* ingeſtionem talium potulentorum, quando hæc adhuc in *ventriculo* ſunt, illum excretorium niſum ſentiant: hoc uti in *Senſibilibus* ſubjectis evenit, ita in *Inſenſibilibus* ſecretio talis, quæ excretionem antecedit, *tardiores* aliquando ſervat progreſſus, ut ingeſta nec illam præcipitent, quamvis *diuretica* & *diaphoretica* vi polleant, adeoque hiſce excretionibus miniſtrantia *ſecretiora* organa æque ſtimulare queant, nihilominus ipſe actus ſecretorius *moderatius* procedit, unde tales homines *diutius* potulenta aſſervare poſſunt, nec tam cito poſt llorum ingeſtionem *ſudare* debent: teſtimonio potulentorum calidorum: & quamvis in *nonnullis* ad variantem hanc ſecretionem *humorum* fluiditas ac *ſubtilitas*, nec non *corporis laxitas* aliquid contribuat, tamen & hæ qualitates ſub *moderamine* ac modificatione *motuum* ſtant,

in quam & *Sensibilitas* & *Insensibilitas* suum jus ac *influxum* servant: quare ex *personali* tali proclivitate quidam homines dicuntur *sudatores*, *sputatores*, *urinatores* &c. in quibus cito ac largiter excretiones cum suis *præviis* connexis secretionibus procedunt, in aliis contra tarde ac pedetentim contingunt: simile quid etiam in *Excretionum* processu accidit, dum nonnulla subjecta *laxioris* ac volubilioris, alia *tardioris* alvi sunt, ut hæc ingesta, quæ *priora* cito afficiunt, in posterioribus *non eandem* habeant efficaciam, quamvis *nulla* eminens & evidens *corporum* intercedat discrepantia: ita vicissim ingesta *crassiora*, viscidiora, quæ Sensibilioribus hominibus *tenacem*, *strictam* & impeditam reddunt alvum, in *Insensibilioribus* facile iterum egeruntur, cum tamen juxta rationes physico-mechanicas in subjectis, quibus corpus etiam *crassum*, densum, compactum & *siccum* est, ejusmodi ingesta *similium* qualitatum per *necessitatem* excretiones magis *obstruere* debeant, quas lepidus ille fibrarum *elater* ob *majorem* resistentiam *haud* sublevare & adjuvare poterit, ut asyla & refugia talia mechanicos suos causidicos & rabulistas magis refellant, quam protegant: proinde talium insensibilium personarum evacuationes *sine turbis* succedunt, *neque* ita facile ab *aliis* causis offenduntur, testimonio satis *frequenti*, ubi fæminæ *indignioris* conditionis, adeoque non raro *insensibiliores*, haud *ita facile* ac *sæpe* in *Mensium* processu à *talibus* causis alterantur, quæ in aliis, præc. *Sensibilibus*, cito & potenter *turbas* ac impedimenta creare solent: simile quid cum *sudore* quotidiano procedit, qui in hominibus *durioris* vitæ generis ac *insensibilioribus*, æque *minus* facile ab *in*- & *extrinsecus* admissis *frigidis* coerce-

erce-

ercetur ac in aliis *delicatiori* vivendi ratione deditis; quamvis aliquando in *posterioribus firmior* corporis compages præsto sit,ut eapropter facilius tales alterationes sine damno perferre queant; in quo phænomeno iterum neque fibrarum elater, neque genus nervosum debile, utpote *commune* quoddam asylum,succurrit, aut nodos occurrentes solvit,ut ita multis modis innotescat,quam *male* illi rebus suis consulant, qui nude materialibus respectibus se mancipant & *homines sine anima rationali* esse malunt.

§. XI.

Quamvis hactenus multis speciminibus ac *indies* occurrentibus innumeris exemplis hanc Insensibilitatem Personalem probaverimus, tamen adhuc *plura* illorum occurrunt *alia*,& quidem notatu digna,tolerantia videlicet & Insensibilitas *Caloris* atque *Frigoris:* in facto *verum* est, quod *duriores* homines *intensiorem* Caloris & Frigoris gradum *sine* singulari *molestia* tolerare queant, quo referendi sunt *metallifusores*,saliscoctores aliique fabri etiam sub *æstuante Sirio* ante focum strenue laborantes; quo spectant homines, qui *hyemali* tempore raro calefacta loca ingrediuntur,die nicht viel in die Wärme kommen, unde diu cum *mediocri* molestia frigus perferunt, ast proinde etiam quando loca calida intrant, *eximium* etiam caloris gradum perferre possunt; testimonio aurigarum, rusticorum, tabellariorum, venatorum, nautarum,lignariorum & in sylvis laborantium,qui satis *diu intense* frigefacti, vesperi aut noctu in *fervide* calefacta hybernacula & magis *æstuatoria* se convertunt,ac bene potati illico secure dormiunt, quales homines eapropter etiam harte Menschen

 vocan-

vocantur: alii vero, qui *valde* Senſibiles ſunt, aeris tempeſtates & variationes quaslibet, *cito* & *ægre* ſentiunt, cum contra *inſenſibiles* homines ſub tali aeris *varietate* non modo *aliquandiu*, ſed & *diu* ſine notabili *incommodo* perdurare poſſint; inde etiam *ex parte* evenit, ut *epidemii* morbi ejusmodi ſubjecta nec *facile*, nec *copioſe* proſternant: ob hanc etiam rationem ſub *morbis* laxiora *minusve exacte* obſervata *regimina*, quoad *caloris* & *frigoris* directionem, *haud* facile præcocia & eximia *damna* afferunt, ut interdum *admiratio* aliorum animos detineat, quomodo quidam homines ſub *negligentiori* regimine *arduum* aliquando morbum *ſuperent*, ſub quo tamen alii magis *ſollicite* tractati, *ſuccubuerunt*.

§. XII.

Hiſce Speciminibus annumeramus, quod Inſenſibiles homines non modo *morbis rarius* ac *tardius* ſubjiciantur, ſed & ſæpe *graves* morbos, ſine oblato *ſingulari artificiali* auxilio, perdurent ſuperentque, aut in *mortiferis* & *valde periculoſis* morbis *diutius*, quam alii vitam protrahant, tardiusve expirent, ut alii eloquantur: er habe ein hart Leben gehabt, habe nicht erſterben können: cum Senſiles *cito* morbis corripiantur, *brevique* temporis intervallo pereant: proinde illi *minus Senſibiles* homines morbos tolerabilius & *patientius* perferunt, nec non in affectibus, *certum* proceſſum, *typum* ac ordinem ſervantibus, *regulariter* magis ægrotant, nec illius ordinis *violationem* facile ſuſcipiunt, ac ſub reliqua moderata gubernatione aut ex arduis periculis *emergunt*, aut ad minimum tam *cito* haud ſuccumbunt, de qua obſervatione eloqvuntur: hätte dieſer Menſch keine harte Natur gehabt, ſo hätte er nicht ſo

lang

lang in dieser Kranckheit ausdauren können : Ad hæc ſciendum, quod tales homines *non raro ſponte* ſanentur, atque hac qualitate teſtentur , quantum *offendiculi* ad morborum ſanationes *nimia* Senſibilitas contribuat: hinc illi inſenſibiles homines *non multum* medicamentis utuntur, ſed ſub *quieto* ac tranquillo animo *decurſum* morbi expectant: Inſuper etiam ordinata *remedia*, non ita facile *contrarios* effectus edunt , ſed ſi operationem aliquam præſtant, aut *ſalutarem* ſucceſſum monſtrant, aut *minus* pernicioſum decurſum cauſantur, ut vulgo dicitur: es ſind harte Naturen, ſie können was vertragen, man könne nicht ſo leicht etwas bey ihnen verderben; quare commotiones ac tractationes therapevticas paulo *fortiores*, *tolerabilius* ſuſtinent, nec facile in *excedentes* ſucceſſus ruunt, id quod etiam in *chirurgicis* operationibus manifeſtum evadit, ſub quibus ſatis *ſtrenue* perdurant, *dolorum* non ita impatientes, aut de iisdem non ad *aliorum* anguſtiam anxii ſunt, imo *duriori* animo & præſenti vigore ac reſolutione eosdem ſubeunt ac perferunt , unde viciſſim *ſalutem* utpl. impetrant , dum in Senſibilibus ſubjectis *contrarii* magis ſucceſſus obſervantur : & ſane iterum mirari ſubit, quantum quidam homines tolerare queant: quemadmodum ejusmodi obſervationes in noſocomiis militaribus & caſtrenſibus non raro obtingunt, ut non neceſſe ducamus, paſſim è tanto exemplorum apparatu, aliquam ſeriem teſtimoniorum & hiſtoriarum colligere : exempli loco tantum *titulum* de *Vulneribus* producimus, in quo deprehendimus ſpecimina quædam *valde periculoſarum* læſionum, quæ tamen interdum ſanatæ & in integrum reſtitutæ fuere, quibus exemplis illi abuti ſolent,

qui

qui ſiniſtrum ac *contrarium* eventum *ſimilium* vulneratio-num cum *prioribus* defendere annituntur: Huic animad-verſioni adſcribimus illum effectum *vomitoriorum* ac *pur-gantium*, cœteroquin *ſatis* potentium, quæ in aliquibus perſonis aut *nullam*, aut *mediocrem* præſtiterunt operatio-nem: hinc medici *tales* inſolitos effectus *rarioribus* ſuis obſervationibus inſerere ſciunt ſolentque: quamvis enim interdum cauſæ quædam intervenientes & *accidentales vehementem* quorundam remediorum effectum intercipi-ant, uti talis caſus in *A. N. C. Cent. 9. obſ. 83.* allegatur, cui titulus: *tartari emetici drachmæ duæ innoxie devoratæ*, ubi primo vomitu tota quantitas remedii ſimul expulſa fuit: ſimilis cauſa occurrit accidentalis, cur in *hypochondracis* & *melancholicis* tartarus emeticus *ægrius* operetur: *vid. A. N. C. dec. 2. an. 3. obſ. 67.* ETTMÜLLERUS *de præſcrib. formul.* attamen non raro ita firma, robuſta, dura & *indurata* obtingunt ſubjecta, quibus *multipliciter aucta* doſis evacu-antis remedii ordinari debet: quemadmodum *communi* ex-perimento conſtat, quod Medicina *Caſtrenſis* quoad reme-diorum *ſpecies* & *qualitates* admodum diſcrepet à Medi-cina civica: unde etiam paſſim hiſtoriæ recenſentur, quod *purgantia* larga copia ingeſta, *haud ſingularem* effe-ctum præſtiterint: ita MUSA *de Simpl. examin* dicit: *quod quisquam drachmas duas Scammonii innoxie aſſumſerit:* FALLOPIUS *Lib. de Simpl. remed. purgant. c. 48.* re-fert: quod *uncia una Scammonii in quodam vix alvum ſolverit:* aliquibus magnæ doſes *diaphoreticorum* alio-rumque evacuantium propinantur, absque notabili ef-fectu: ſimile quid cum alterantibus ſuccedit, ex quibus vel ſolum *opium* hoc loco allegare lubet, quod nonnulli

homi-

homines *sine damno* magna etiam dosi usi fuere. *conf.* BARTHOLINUS *Act. Hafniens. Vol. 2. obs. 20. p. 50.* ubi author ait: *Consuetudinis magna est vis: Hinc Turcæ & orientales alii populi magna Opii quantitate vescuntur sine periculo: Et mulier quædam Hafniensis hodieque sine quotidano Opii ad drachmam integram assumti usu vivere nonpotest, cui jam pridem a granis incipiendo adsuevit*; conf. REJES. *Camp. Elys. juc. qv. 63 43. A. N. C. Dec. 1. an. 2. p. 127. 395. An. 4. obs. 207. Dec. 2. an. 5. obs. 179. Dec. 3. an. 3. obs. 49. An. 5. obs. 21.* STALPART VAN DER VVIEL *Cent. 1. obs. 42.* & passim alibi.

§. XIII.

Est itaque *comparata* talis Insensibilitas in nonnullis subjectis in *universo* corpore, in aliquibus vero quoad *loca* & *regiones* variat, ob id quidam de tali *duritie* & firmitate *ventriculi* ac *intestinorum* gloriantur, alii tale *robur pulmonum* extollunt, in nonnullis *externa* corporis regio admodum *valida* & *insensibilis* observavatur; siquidem sensibiles personæ in *cute* plane aquam *crassiorem* & impuriorem, ein hart Wasser, nec non temperata acida, *lixivia*, saponem &c. *ægre* perferunt, vel a contactu *araneorum* aliorumque exiliorum animalculorum varias *offensiones* experiuntur, videl. ardores, rubores, affluxus humorum, indurationes, dolores, pruritus, scabritiem, erysipelaceam inflammationem, &c. alii vero cum ejusmodi subjectis & adhuc *eminentius* afficientibus indies *sine incommodo* conversantur, siquidem *densior* cutis structura & compages, non *omnimode physicam* efficaciam illorum subjectorum eludit, intercipit ac infringit: quemadmodum in *sensibilibus* hominibus ob *inquietam* valde *imaginationem* tales alterationes *sine physico* contactu prædictorum subjectorum, aut *sordidarum* quarundam substantiarum, in cute contingere possunt & solent: hinc homines munditiem & *puritatem* corporis servantes, in aliis hominibus sordida animalia, utpote pediculos, pulices, cimices, aut scabiosa ulcuscula observantes, perpetuum molestum *pruritum* in cute sui corporis sentiunt, ac si similibus animalibus infecti essent: hinc *contraria* ratione dantur homines, qui tales offensiones parum æstimant, sed potius vilipendunt, unde *mediocres* cutis læsiones *vix* curant, ac nihilominus negotia sua continuant, ut fabri lignarii, scrinarii, ferrarii &c. quibus vulnerationes aliæque offensiones *haud infrequen-*

tes existunt: quare *duriores* ejusmodi homines eloqvuntur: wann ein anderer diesen Schaden hätte, er würde sich ins Bette legen oder auf den Großvater-Stuhl setzen: & constat nobis vir jam ultra *septuagenarius*, durus & insensibilis, qui ante aliquot annos dolorifico *panaritio* correptus fuit: hic cum per initia *acerbitatem* doloris sensisset, in animum induxit, ut *firma imaginatione* sibi persuaderet, quasi vicinus illius hoc affectu atque conjuncto *dolore* laboraret, sub qua firma cogitatione non modo *proprii* dolores *mitescebant*, sed totus affectus *breviori* temporis intervallo ad *prosperum* pertigit eventum: Ex hisce circumstantiis, attento animo collectis, iterata vice colligimus, quod hæc Insensibilitas, cujus hactenus mentionem fecimus, non sit *privatio* aut abolitio *Sensus*, ac *defectus*, in corpore existens, sed *moderatior*, lenior, tranquillior Sensus exercitatio, siquidem in *talibus*, hactenus recensitis subjectis insensibilibus haud *morbosus* languor, imbecillitas, *adversa* valetudo, aut *nervorum* & *elateris laxitas*, quin rectius *robur virium*, *sanitas*, integritas, *nervorum densitas*, firmitas adeoque positiva ad sentiendum *aptitudo* adest: ut frustra philosophi papulares, qui in *nervis papulas* ad *sentiendum* urgent, *minores* vel *ineptiores* tales papulas supponant atque fingant: unde potius illi homines, qui secundum rationes, leges & qualitates *physico-mechanicas* ob *corporis* sui fabricam & *dispositionem sensibiliores* esse *deberent*, tamen *insensibiliores* existunt, nec non illi homines, qui ob corporis sui rationes, Sensibiliores per *necessitatem* causarum præsentium esse deberent, tamen ob *consuetudinem* aliamque applicationem *insensibiliores* evadunt: Quando itaque *anima rationalis* in *interna* corporis œconomia suo *Sensu vitali* moderata, *lenis* ac continens, nec fugitiva, impatiens, præceps ac impetuosa est, tunc tali qualitate *Insensibilitatis* prædita, sub hac vero *non* stupida, torpida, segnis, negligens ac otiosa, sed ita *negotiosa* & suis operationibus *consuetis* ac *ordinariis* studiosa est, ut *sine turbis* in *salutem* corporis necessarios fines prosequatur, indeque sub hac qualitate *vitæ* & *sanitatis* processum magis *regulariter* & efficaciter exequatur: qui singuli respectus pro illa veritate militant, quod *Sensus vitalis*, *Sensibilitas* & *Insensibilitas Personalis* non modo *realiter veræ*, certæ ac indubiæ sint qualitates, sed & magis *animæ* ac *motuum* directorio atque moderamini, quam *materialium* qualitatum vi adscribi mereantur.

§. XIV.

§. XIV.

Hæc cognitio Insensibilitatis Personalis, promittit etiam egregios usus in *Praxi medica* annotandos & applicandos, ex quibus præcipuus ille est, quod homines, hac qualitate instructi, eximio Privilegio *Sanitatis* polleant, dum iidem adhuc *rarius* sub *minus delicata*, provida & curiosa vivendi ratione *morbis* corripi & *morti* rapina fieri possunt, ac alii sollicite & *indulgenter* vitam transigentes, qui posteriores *actu facilius*, sæpius & intricatius *valetudinarii* evadunt: hinc vulgaris deprædicatio naturæ *duræ*, robustæ, sanæ, vividæ, vigorosæ & contra *infirmæ*, debilis, morbosæ &c. innotuit: proinde periti, prudentes & hujus Insensibilitatis bene gnari medici, hujus naturæ vegetæ viribus recte uti sciunt, nec easdem multis *artificiis*, inventis, experimentis, arcanis &c. turbant, pervertunt, corrumpunt, confundunt & seducunt: siquidem consultius est in *dirigenda* œconomia *vitæ* & *sanitatis*, nec non *morborum*, hisce robustis ac vegetis naturæ viribus niti, quam *artificiosa* correctione & emendatione uti, quæ posterior magis *coacta* est, cum prior magis *naturalis* existat; ob id etiam tales homines *certius* ac *melius* bono ac *simplici* regimine & consilio, quam *amplificis* auxiliis sanantur: nec necessitas quidem requirit, ut insensibilia ejusmodi subjecta *fortissimis* medicamentis urgeantur & cogantur, quibuscum naturæ hominum magis *turbantur* & *suspecte* ac *morbose* insensibiles redduntur, ut tandem similibus *crudis* & crassis auxiliis parum obtemperent; cum vicissim non raro experiri liceat, quomodo eadem *aptis leni-oribus* mediis, *iteratò* propinatis, nihilominus *mediocri* gradu ad *medicamentosos* effectus disponi queant: attamen *aliquando* etiam necesse est, ut talia Insensibilia subjecta, quamvis non *potentissimis* admodumque *suspectis* remediis, tamen *comparate efficacioribus* tractentur, ne *valde lenia* oblata pharmaca in corpore *sine* desiderato effectu *delitescant*, aut *molestias* aliquas creent, aut *contrarias* plane operationes exserant: neque porro convenit hac Insensibilitate aut *negligentius* uti, aut plane *abuti*; dum quoad *priorem* respectum subjecta, qualitate hac prædita, *deserere* haud decet, quoniam *durior* virtus *naturalis* nihilominus in *arduis* morbis ope aliqua *medica* indiget, siquidem ad minimum ex accidenti intervenientia *offendicula* præoccupari & *declinari* debent, ne ex illorum injuria reliquæ

strenuæ

strenuæ naturæ operationes *pervertantur* ac ſupprimantur; *alterum* reſpectum quod concernit, tunc perinde *incongruum* ac inconſultum eſt, in *arduis* affectibus *impetuoſe* ac *vehementer* operantia remedia obtrudere, ſub quibus aliquando in *excedentes* & *turbulentos* motus natura ſeducitur, aut repente in *eximiam imbecillitatem* conjicitur: nec porro *neceſſe* aut *utile* eſt, in ſubjectis inſenſibilibus *anxio* & *ſollicito* animi affectu ad *confortantium* & *roborantium* uſum confugere, quoniam utplurimum *duriora* talia ſubjecta *ſponte facilius* vires colligunt, ac viciſſim per *minus* neceſſariam talium remediorum ordinationem in *naturali* ſua firmitate valde alterantur & offenduntur: præterea homines Inſenſibiles *facilius* ſimplicibus, quam *ſpecioſis artefactis*, compoſitis *chymicis* præparationibus ſublevantur, teſtimonio hominum *vilioris* qualitatis, qui *raro* ex *pharmaciis* auxilia & *opem* quærunt: neque ſalubre eſt *conſuetudines* tolerabiles, nec *pernicioſas* in perſonis inſenſibilibus *immutare*, ſed illas rectius *intactas* relinquere: multo minus ſub hac Inſenſibilitate *narcotica*, aut *adſtringentia* ordinari debent, qualia remedia *peſſimas* operationes exhibent: præcipue ſi talibus ſubjectis medicamentoſis *haud adſueti* fuerint homines, ubi *minus appoſita* erit concluſio, quia hæc ſubjecta non ita facile alterari & commoveri, ſed potius *durius* regimen perferre poſſunt, ergo cum *ſecuritate* hæc & ſimilia remedia iisdem ordinari queunt: neque *graviores* talium hominum morbi ſubito medicum *anxium* reddere, aut ad *inutilem* officioſitatem diſponere, ne dum quidem *funeſtum* prognoſticon ab eodem extorquere, ſed illum in conſiliis ſuis magis *firmum, confidentem* & conſtantem facere debent: quodſi etiam *neceſſitas* poſtulaverit in uno alterove reſpectu *efficacius* quoddam remedium ordinare, *minus* tamen neceſſe eſt, *omnia* remedia, *æquali* operationis gradu prædita, *in eodem* morboſo affectu commendare, v.g. ſi quis *fortius purgans* & poſthac *alia potentia* pharmaca ejusmodi robuſto ac *duro* ſubjecto proponere vellet, æque illud *continua* tali fortiori aggreſſione *magis* enervabit & *perturbabit*, quam ſublevabit & adjuvabit: ita etiam *minime* conſultum eſt inſenſibiles ejusmodi homines *anxie* & *curioſe* magis a morbis *præſervare*, ſed potius eandem prophylaxin *ſimplici* modo inſtruere ac adminiſtrare: ex quibus omnibus & pluribus aliis annotationibus facile demonſtrari poteſt, quod *præſens* obſervatio de *Inſenſibilitate perſonali*, non tamen *morboſa*, in *Praxi* medica *multis* modis & occaſionibus applicari queat: ſed vela nunc contrahere lubet, quod reliqvum eſt prudenti, judicioſo ac ingenuo Lectori relinquimus, DEO benigniſſimo, pro præſtito auxilio humillimas gratias offerentes, Ejusque almæ benedictioni hunc laborem conſecrantes, quo exoptatus & ſalutaris illum coronet & comitetur

F I N I S.